Matth: Andreothesia genethliaca Ill.mi ac Rad. adm. D. D. Andreae Tarto, Can. Crac. 1619

ANDREOTHESIA GENETHLIACA

Illustris ac Reuerendi admodum Domini,

D. ANDREÆ TARŁO

E SZCZEKARZOWICE,

Castellanidæ Sądecen. Canonoci Crac. Decani Opato: Ecclesiæ Collegiatæ Tarnouien: Præpositurum fæliciter cum solenni apparatu capessentis, literatorum virorum fautoris & Patroni:

Consecrata

Illustrissimo Principi, ac Reuerendissimo Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI, EPISCOPO CRACOVIEN: CANCELLARIO Academiæ, & supremo Protectori:

AMPLISSIMIS AVTEM CAPITVLI CRAC. VIRIS, generis & factorum claritate, pietatis & doctrinę præstantia, omni prudentia & authoritate Illustribus ac Reuerendis admodum Dominis, Cathedralis Ecclesię Crac, Prælatis & Canonicis

Dicata:

At vero â venerabili viro

M. MATTH: BVCZKOVIO, PHILOSOPHIÆ DOCTORE, in Academia Crac, Contubernij Ierusalem Seniore, honoris ergô ipso die S. ANDREÆ Apostoli

facta,

Ac per applausum Charitum Cal: Ianu: per modum Xenij reuerenter

exhibita.


7. 9.

CRACOVIÆ,

Basilio Skalski Chalcographo, Anno Domini,

1619

In inſignia ampliſſimi ac Venerabilis CAPITVLI *Cathedralis Eccleſiæ Cracouien.*



AD ILLVSTRES AC REVEREN: admodum Dños DD. Prælatos & Canonicos Capituli Cracouien. Syncharmatica acclamatio.

Lumina Sarmatiæ, Templi ſacra Numina Patres,
Splendore virtutum beati, & germine:
Dum Muſæ carmen pangunt, veſtroſq; ſerenant
Vultus: fauore promouerier volunt.
Stellifero Charitum diſtinctæ flore coronæ,
Veſtras adorant aureas, olympicæ!
Viuite, SZyſkouio cum Præſule, lumina Regni,
Secula pares vobis futura viros ferant.

M. M. B.

In Antiquiſſima Arma

Illuſtriſs: EPiſc: Cracouien: Ducis Seuerien.



PAndit opus clarum ſperatę, ſtemma, ſalutis!
Candida SZYSKOWII Præſulis acta probat.
Eſt in ſacratâ Procerum, ceu luna, coronâ:
Inter ſydereos, lumine plena, globos.
Progredere ô fælix, res Illuſtriſsime Princeps
In finem, Regni, ſic moderare, bonum.
Sunt Pietas. & cana Fides ſacra pabula vitę.
Quę inſtillas nitido, Paſtor amande Gregi.
Viue diu, mitis ne ſpernito vota Clientis:
Carmine ſic viuet laus tua, viue diu.

IN ARMA
Antiquissimæ domûs TARŁONVM.



PRonuba seditio belli, discordia vecors,
Ex Læchicis recede finibus procul:
Improba vulnificâ disscindet corda securi
Antiqua Tarłonum, decensq; stemmate
Gens claro: quam Læchus ad has deduxerat oras
Princeps, valenti dextera Regnum parans.
Hæc, tot templa Deo, celsas tot condidit arces,
Augusta Gens, tot Præsides Regno tulit.
Inde Senatorum prudentum copia creuit,
Hinc milites, hinc prodiêre, Præsules:
ANDREAS TARLO tuus ô Tarnouia Mystes,
Viuat diu felix, decus Regni inclytum.

M. MATTH. BVCZKOVII

APPLAVSVS CHARITVM

TARNOVIENSIVM,

Salue syderei cura laborque poli.

VATES ENTHEATVS.

DVM feror In rVpes, & prata mIClanIa lVstro!
Vt Phœbo Mystes munera sacrificem.
Inter Hamadryadas solers & Oreadas inter
Exultans parili dexteritate moror.
Scintillante polo, Cyllenius adstitit ales,
Suauia diuina carmina voce sonans:
CRACIA DVM LVDIT, TARNOVIA LÆTA RESVLTET:
DVM TARNOVIA ORAT CRACIA CANTET IO.
Obstupui! rotat ille angues, virgamq; plicatam,
(Atro quâ morbos ex Acheronte vocat,)
Ad me conuertit, roseo sic oreq; fatur:
Gaudia corde geras chare Poeta tuo.
Tende lyram, laudes celebra, si fortè requiris
Causam? te Charites mitè docere parant.

CHARITES.

❡ *Suspiciens iterum, en hilares audire loquaci*
Tres videor plectro sic resonare Deas:
Tarnouides Nymphæ, lætum Pæana canentes
Plaudite, letitiam Templa, scholæq; sonent.
Et resides leni modulantes pectine neruos,
Augusto capiti mystica serta date:

Purpureis postquam singultibus exspuit auram
ZARDECKI *Templi Præses, adijtq; polum,*
Apparat ecce gradum ANDREAS, *fausto omine dictus*
TARLO, *feruenti tactus amore Dei.*
Præclaræ Gentis soboles, & stemmate magnus,
Ad quem sermones hos Pasithea refert.

PASITHEA. nomine totus Ciuitatis

¶ *Salue Præses, honor Patrum, laus curaq; Templi,*
Nestoreos superes in bonitate, dies.
En te Pastorem Tarnouia clara salutat,
Hæcq; lubens flexo poplite metra canit:
Salue noster honos, salue pietatis imago:
Salue Treyciæ splendor honorq; lyræ.
Ingredere ô Pastor, felix altaria prende,
Expandit portas Gratia grata tibi.
Inuia virtuti poteritne via esse sacratæ?
Non humili potis est illa sedere loco.
I quo te virtus vocat inclyta, clausa reuellans:
Hanc Ædem regito, pascua conde gregi.
Accipe serta tuo pridem quæ debita honori,
Atq; his ornatus munus id aggredere.
Altera virtutem, doctrinam ast altera monstrat,
Tertia prudentem te ista corona refert.
Infula sacrato capiti ponetur abinde,
Arbiter esto boni tu eximiumq; decus.
Moribus vt niueis confirmes corda proborum,
Et sanctum possis prouehere obsequium.

Ascia



Ascia, stemma, nota est sacratæ militiai,
Hac excelsa poli tecta subire potes.
Multi ex Gente tua Curios æquare valebant,
Et Decys similes pace, forisq; fuêre :
Illorum virtute fuit Respublica felix
Læchica, quos timuit Turca, Gethesq; ferus :

Nôrunt

Nôrunt pro Patria dare se in discrimina, nôrant
Horrida sanguineâ bella mouere manu.
Quot Troiana armis illustres machina fudit,
Hæc heroas ab hinc tot domus ampla tulit.
Moribus antiquis Romanis æquipandos
In templum Patres, militiamq; viros.



¶ Docta Thalia dein' populo gratatur amorem
Flaminis attonito, talia verba tonans.
Ciuicolis salue Pastor, Præsesq; sacrate,
Salue Piery lausq; decusq; chori:
En te Pastorem Tarnouia clara salutat,
Hæcq; lubens flexo poplite metra canit:
Salue Diuorum splendor, pietatis adauctor,
Salue syderei cura, laborq;, poli.
En tua vota, Tonans summus, moderatur: honorat
Patris, Verbi, Hominis, Filia, Sponsa, Parens.
Omine felici, felix altaria prēnde,
Et Diuûm Regi pane, meroq; lita.
Gaudia concipiunt, de OSTROG DVX inclytus, alta
Cum Consorte thori, gaudia concipiunt.
Gaudia fert frater Sismundus, læta sorores
Chara tuæ Matris pignora, corda gerunt.
Quid Genitor Castellanus Sądecius, heros
Magnanimus, nonne hinc gaudia læta ciet?
Gaudia læta ciet, summum pro teq; Tonantem
Multùm onerat votis, sospes vt esse queas:
Tu decus omne tuis: obryzo sicut in auro
Lucet ebur, splendes sic Decus omne tuis.

EVDOXIA nomine cleri & Illustrium DD. propinquorum.

¶ Cælitus his adiuncta volans Eudoxia, laudes
Occinit, eximiâ commoditate Patris:
Patronos vocat & Diuos ad Gaudia, Mysten
Commendat magno cæli colûmq; Patri.



Instruuit & sacris meritis, ac robore firmat.
Et cunctos verbis talibus alloquitur.
Cum clero properate viri, bona dicite verba:
Hic Mystes recto tramite monstrat iter.
Hic est norma valens vestram curare salutem:
Hic est qui trepidos firmat in astra vocans.

Non

Non auro vitam sed iustâ lance tuetur,
Hymnis concelebrat vota precesq; Deo.
Mordaces Momi procul hinc, procul este Cratini,
Virtuti liuor nonne nocere potest?
Altè perrumpens nubes, secat aethera pennis
Ales grata Ioui, sub pedibusq; premit.
Vocalem nunquam superabit àedona bubo:
Nocturnæ ergo gemant ore strepente stryges.

VATES.

¶ Non tulit hæc vates, vocemq; his vocibus addit,
Et gratos placido fundit ab ore sonos.
Salue militiæ diuinæ splendor, bonosq;,
Salue Pieriæ lausq;, decusq; lyræ.
Vt nitido pellit Titan splendore vapores,
Liuorem vincunt sic decora alta Patris.
Viue diu felix, Patriæ spes inclyta laudis:
O columen Regni, viue, valeq; diu.

EVLALIA nomine Scholæ, & totius Communitatis Tarnouien.

¶ Suauia concordi resonans EVLALIA plectro
Carmina, quæ populi vox sit, abunda docet.
Exulta præstans Tarnouia Præside tanto,
Et dulces apto promito ab ore modos:
Iamq; sonent cytharæ, Dircæaq; plectra, sacrato
Applaudant Mystæ vrbs quos fouet ampla viri.
Salue noster bonos, salue pietatis imago:
Salue Tarnouiæ lausq; decusq; scholæ.
Salue cunctorum nostrûm commune leuamen,
Salue Pastor, oues pascua in alta leua.



Est precium virtutis honos, te candide Mysta
Magna manent: meritis Iuppiter ipse fauet.
Felici auspicio Pater ô dignissime perge
Pridem promerito prosper honore frui.
Cognita Opatouiæ virtus tua, Biecia clara
Pastorem memorat teq;, fauetq; tibi.
Dum pede contingis fausto Templi istius aras,
Cur non gratemur prospera quæq; tibi!

Effice, quisq; suo rectè officio instet, at Arte
Corrigat & mores te præeunte suos.
Offensi id monet ira Dei seriesq; malorum,
In quibus infelix Sarmatis ora iacet.
Turca, Scythesq; ferus fines populatur vbiq;,
Christicolas flagris, ceu pecora vrsus, agit.
Inprimis te cura sacræ pietatis, & ardens
Syncerae teneat Relligionis amor.
Nostraq; cunctorum tibi sit communio cordi,
Unde tuas possis noscere Pastor oues.
Sic tua fortunam aduertes in vota fluentem,
Gratus eris superis, gratus & orbigenis.
Viue diu felix viuacis secula cerui,
Nulla tuas laudes turbet iniqua dies.
Sic Charites Tarnouienses, Nymphæq; choreis
Ibant, lætitiam templa, Scholæq; dabant.

APOLLO.

Postquam percepit cantum Pathareus Apollo:
Appobat, & tales promit ab ore sonos:
Cracia dum ludit, Tarnouia læta resultet,
Ex pastore bono commoda mille ferens.
Eia nouem, Mystæ reduces cantate Sorores,
Dum Tarnouia ouat GRACIA cantet io.

MERCVRIVS.

Musarum ergo chorus vario splendore nitescit,
Cui dedit Atlantis talia verba nepos:



Craciades Musæ lætum Pœana canentes
Plaudite, lætitiam templaq́ Scholæq; sonent.
Queîs non sunt cordi Musæ sint laudis egentes,

ANDREESTHESIA GENETHLIACA

Per ἐκςον σιν Venerabilis CAPITVLI Eccl: Cath: CRAC.

Musis plaudentibus cum Apolline.

ANDREAS TARLO DE SCZEKARZOVICE PRÆPOSITVS TARNOVIENSIS,

Anagrammatismus

SIS PASTOR POPVLI: ERRORES CAVE, SANA, TVERE CONSTANS DICAS.

TAles dum puro resonant super æthere cantus,
Per iuga Vauelli montis sonus impetit aures
Craciadûm, Patrumq; sacratus quos canon ornat,
Lumina sunt Regni, sacratæ fulcra cathedræ:
Quorum qui fandi fuerat doctissimus, edit
Isthæc dicta sacro fœcundus Apolline, Flamen.
¶ Hymnisonos depromè modos mea tibia, festus
Iste dies, quo sacratis sacer ædibus hospes
Ac populi Præses vultu splendescit honoro!

POEAN DIVORVM TVTELLARIVM.

Threycio Diuæ Patrem celebrate cothurno,
Et genus, & formam, Superûm Pater approbat eius.
Dijq;, Deæq; nouo dent lætum carmen honori.
Est precium virtutis honor: Pœana canendo
Applaudat natale solum virtutibus altis,
Tarnouias feriat portas resonabilis Echo,
ANDREAM *claro resonemus carmine* TARLO.

CALLIOPE.

¶ Eia canora quibus sunt cordi metra Sorores
Stringite fila lyræ, sacros resonemus honores
Sacrifici, qui sacratis nunc constitit Aris,
ANDREÆ *retinens augustâ nomen in* ÆDE.

Clio.

CLIO.

¶ Conspicuo dignus metro, speciosior Orpheô!
Iustitiæ, Rectiq; tenax, monstrator & Aequi.
Ornatus Sophiæ studijs, & mente decorus.
Quos non delectant Musæ, sint laude carentes.

THALIA.

¶ Quid sonat Andreas? prudentem mente virum: alta
A virtute vir est dictus, virtutis amore
Vt faciat rectum, non tam formidine pœnæ.

ACROSTICHIS.

A Mphion Thebas cantu si condidit altas,
N onne tui poterit constructus stare decenter
D iuino eloquio gregis ordo, scientia abundans?
R elligiosa Patrum, quorum mitissimus ardor
E t pietatis amor, cælesti rore, corona
A rdor perfundens, est notus, corda, iuuabit.

EVTERPE.

S umite materiam, quicunq; fauetis honori
T am illustri, demonstrat honor pia facta, virumq;:
A ltâ promeruit virtus consistere sede!
R ecta igitur præstas, quæ sæcla futura probabunt.
L audem conserua spectato carminis vsu:
O mnis in officio fiet tibi cura sacrato.

ERATO.

¶ Sydera namq; tuo fulserunt læta sub ortu,
Et promittebant fælicia tempora vitæ:
Delia, Mars, Hermes, Venus, vnà Iuppiter & Sol:
Falcifer ast tadè, submotus & ibat ab illis.
Scilicet hoc ritu seram vexêre senectam.

POLYMNIA.

Adde



¶ Adde quod ipsa trium Parcarum maxima Clotho,
Ad cunas tibi sic cecinit florentibus annis:
Cresce puelle, tuus laudabilis ortus in orbe
Apparet, præstans hac indole cresce puelle:
Mollia ducuntur nostro tibi stamina fuso,
Longaq; fatali voluuntur pensa tenore.
Lætifica Matrem risu, da gaudia Patri,
Exhilara Fratrem vultu, dulcesq; Sorores,
Magnifica ast oculis consanguinitate propinquos.
Nil tibi deceptrix hominum fortuna nocebit:
Quamuis injiciet curas persæpè molestas:
Has tu consilio fortis, bonitateq; vinces.
Te non ebrietas, non implacabilis ira

C Corripiet,

Corripies, facili cunctos moderamine flectes.
Principibus charus fies, & Regibus altis,
Venturis motus quoniam frænabis in annis,
Virtutem factis extendes; clarus in orbe
Sarmatico prudens, mitratus eris'q; sacerdos.
Purpureos inter Proceres ceu gemma nitebis:
Cana Fides, libramq; gerens Astræa bilancem,
Integritas mentis, quæ flagrat amore Tonantis,
Nonne tuo pridem posuerunt pectore sedem?
A puero sacris Musarum addictus, in altum
Tendebas semper, linguæ facundia cordi
Semper erat: mentem ferijt respectus Honesti;
Non furor insanus: te tellus extera vidit
Mansuetum, Doctrinæ intentum, & Relligioni:
Quam tu Tylicio tua facta per alma probâsti:
Præsul hic æternâ vitâ qui dignus habetur
Te fore Læchiacis, magnum prædixit in oris.
Illi te, candor vitæ, moresq; sacrati
Efficient, Superisq; parem. Subuectus in altum
Hac pietate gradum, sacrati Præsul honoris
Sis Patriæ columen, miseris & dulce leuamen.
Qualis erat TARLO Præmisliæ STANCESILAVS
Cælica Russiacis dans dogmata Præsul in oris.
Moribus, & vita præstans, verusq; Senator:
Marmoreâ cineres Tarnouia condit in vrna.
Qualis erat Tarloq; Leonis PAVLVS in vrbe
Archiereûs, cunctis exemplum præbuit, altæ

Inte.

Integritatis amans, vitæq; tenore beatus.
Talem te præbe cunctis, facilemq;, bonumq;,
Nil memoro OTTONES, Palatinos, Zakliciosq;.
NICOLEOS Castellanos, historia testis
Tarlonum gentem magna virtute decoram
Sarmatico semper fulsisse per ardua Regno.
Ad te confugient vates, Sophiæq; Magistri
In tua soluentes doctas præconia linguas.
Tu placidus, mitisq;, bonos bene habere memento.

MELPOMENE.

¶ Hæc vbi natus eras occulti præscia fati
Lanificûm numero è terno Soror vna canebat.
Ergo læta dies, reuoluto sæpiùs anno,
Magna tibi spondet: magnorum corda virorum
In te disponit: peragas feliciter æuum.

ἐυχὴ seu omnium vox symphonica.

TERPSICHORE.

¶ Omnes acclamant illustres stemmate Patres,
Vox diuersa quidem, sed mens erat omnibus vna,
Quam Dea promouit sacro ex Helicone profecta:
Talia sic promunt læto de pectore vota:
ANDREAS TARLO Maiorum gemma suorum
Et pietate nitens, cui sancta Modestia vultu
Insidet, ast oculos Clementia dia venustat:
Viuat in orbe pari plausu per secula, Christi
Cordato spirans sacratum pectore amorem.

VRANIA.

¶ Ingeminant voces, it cælo clamor, obito
Munus id excelsum Templi ornatissime Mystes:

Noscitur vngue leo, primordia clara salutis
Tarnouiæ, vigili magnoq; labore, paranda:
In te conspicuum, nomenq; decusq; reponunt.

GRATVLABVNDA VOX POPVLI.

¶ *Infula sic cingat tibi tempora: nam Kazimirski*
Præsul honoratus modò Kiouiensis, obibat
Olim munus in hoc templo, nomenq; parauit
Æternum sibi. Quid tu mansuetissime, claro
Qui inter sydereos ignes splendescis honore?
Pascere oues, Christi, non dedignator, amore.

Lyra APOLLINIS per Anagramma:

¶ SIS PASTOR POPVLI *gnarus* CONSTANSQ;: TVERE
Quæ sunt SANA: CAVE *ne* ERRORES *repperiantur*
In populo: Medicis ægrorum vulnera pande,
DICAS *vera: malos posse haud saluarier vnquam.*
Sic Pietas vasto nomen celebrabit in orbe
Ritè tuum: sic cum DEI *tibi præsidium addet.*
Publica, Maiorumq; negotia, rite, tuorum:
Res, in perpetuis fastis tua facta reponet.

☞ *Ter pede pulsantes terram, ter metra dedêre*
Musæ cum Phœbo, sacras Heliconis, in vmbras
Ibant, lauriferi, exultim Pæana canentes.
Impleuêre domos, nardo florente, coronæ.

PEGASVS

PEGASVS per apophoreticon Pöetæ.
ſeu

DEDICATORIVM OPERIS,

Illuſtri ac R̄ndo admodum Dn̄o,

D. ANDREÆ è SCZEKARZOWICE

TARLO, Caſtellanidę Sandecen: Can: Crac.
Decano Opatouien. Collegiatę Eccleſ.
Tarnouienſis Præpoſito dignisſimo.
Domino & Fautori literatorum optimo.



INterea quando dulces ſiluêre Camœnę:
Inq; Helicona tulit Phæbus & ipſe pedes.
Cor micat ecce mihi, gratas & concipit artes,
Quêis poſſet mentem conciliare tuam,
Ergo meus rapidis ſe Pægaſus excitat alis,
Laudes mitè volens concelebrare tuas.
Nec moror, impete præcipiti feror, & reor, vltro
Te canit hymniſono Gratia grata tono.
Cracia turritas ad cantum ſurrigit arces,
Ampla IAGELLONIS plaudit ouatq; SCHOLA,
Si tuus (eia) cliens, MECOENAS, Iſtulæ ad amnem
Implet honorificis laudibus ora tuis:

Siq;

Siq; tot ætates, quot Vistula verrit arenas
Expandit: cur non gratia grata iuuet?
Consecrat æternæ Famæ Pymplæa decentes
Culta viros, factis gloria ab Arte venit.
A puero mihi erat virtutis amabile nomen
Vsq; tuæ, ô nitidi cura, laborq; poli:
Nunc quoq; mî cordi est venerandum nomen, & alti
Muneris officium, conditione ratum.
Debentur maiora tuæ virtutis honori,
Tu modò ne spernas candida vota Pater.
Si celebris mundo exoptas fieri, aëra pennis
Permitte alatum scindere cornipedem,
Ille tuas mittet (dubitas?) ad postera, laudes
Sæcula, Bellerophon sic super astra volat.
Amphytrioniades, duro vigiliq; labore
Promeruit nitidi candida tecta poli.
Sis fælix, nostriq; memor, te nostra vicissim
In memori celebrem pectore Musa feret.
Vt colui pridem, sic te dignissime Mystes
In quaquâ fuero conditione colam:
Ac meus antè suas amittet Pægasus alas,
Ex animo ANDREAS quàm cadat ipse meo.
Moribus eximijs potis es generisq; decore
Ardua consequier, viue valeq; diu.
Antiquæ Gentis Tarlonum splendor, honorq;:
BVCZKOVIVM veteri semper amore foue.
Sis sospes, teneras placida cape mente Camœnas,
Posthinc pomposis te celebrabo metris.
Carmine sunt digni, quos laudat fama perennis:
Carmen ama, metris namq; probanda geris.
Sic tua te pietas alto producet olympo,
Vulgabuntq; tuam muta sepulchra fidem.
Macte, decus cleri, lux templi, splendida Regni
Gloria, cum nitido, viue, valeq; grege.

FINIS.